



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 92. Camerarii molimina pro Sanctacrucii electione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæc. l. XVI. obtulerint, an vero id sincero animo, **A. C. 1555.** vel nonnisi ejus amicitiam sibi conciliandi studio fecerint, ignoret: His dictis tabulam, in qua omnium Cardinalium nomina erant descripta, arripiebat, cumque horum nonnullos indicare inciperet, derepente supervenit Dandinus Cardinalis aliunde Ferrariensis in paucis carus. Eo conspecto Lottinus, ne Sanctacrucio suspensionem ingereret, mox recessit, habitique colloquii seriem Camerario, & Cardinali Sancti Angeli exposuit.

§. XCII.

Camerarii molimina pro Sanctacrucii electione.

Postquam hi aliquamdiu inter se deliberabant, tandem una omnium sententia eo abibat, quod in sacris Purpuratorum comitiis nihil magis quietem interturbaret, quam diversa variarum Nationum studia, ideoque, ne sibi alterutrius indignationem accerferent, unius electio cum summa taciturnitate esset procuranda. His dictis tabulam arripiunt, indagantes, an pro felici consilii sui successu eis sufficiens suffragiorum numerus adstipularetur: cum ergo quamplurimos sibi faventes recenserent, ex iis, qui sua suffragia erant polliciti, illos seligebant Car-

dina-

dinales, quos ad persuadendos ceteros magis idoneos censebant, eisque injungebant, ut illis, de quorum mente nondum satis certi erant, tamdiu adhærent, donec Sacellum, in quo suffragia colligerentur, ingressi fuissent. Ea res non sine ingenti dexteritate agebatur, nec ab ullo oppositæ partis Cardinale animadvertebatur, excepto Dandino, qui in quadam porticu Lottino obviam factus eidem ad aures dixit: „ea, quæ „machinati estis, comperta habeo, nec „id ægre fero: hinc meo nomine fidem „facite Camerario, quod & ego pro „viribus meis eidem assistam. Enimvero si Dandinus ea temporis opportunitate usus Camerarii molimina Ferrarienti Cardinali detexisset, abs dubio hic cuncta illius consilia evertere adlaborasset: at Dandinus nihil eorum ipsi manifestabat, ex quo Ferrarientis sibi in amicorum suorum favoribus exiguum prorsus præsidium esse repositum haud obscure colligere poterat, præcipue, cum is, qui etiam ipsi addictissimus, unice ideo, prout ipsemet absolutis comitiis fatebatur, sese Sanctacrucio favere, confestim non declaraverit, ut suum suffragium dedisse videretur cuidam amico, cui illud salva honestate denegare non potuisset.

Sæcul. XVI.
A.C. 1555.

L 3

Itaque

Sæcul. XVI.
A.C. 1555.

Itaque inter cunctos solus Tridentinus adhuc Ferrariensi Cardinali adhærebatur, palamque profitebatur, quod potius ipsi, quam Sanctacrucio suum suffragium dare vellet: cum autem hic ipse Cardinalis ex Cæsaris fautoribus præcipuus esset, hinc facile Cardinalem de sancta Flora ad suas quoque partes attrahebat: verum Lottinus Florano Cardinali amicitia junctus eidem rationes, ob quas Sanctacrucium Ferrariensi præferret, eo fine explicabat, ut is illas pariter Tridentino Cardinali proponeret, cum hic utpote Imperii Princeps, ac Caroli V. rerum studiosissimus præ ceteris de futura electione maxime sollicitus esset: eapropter Lottinus insuper Tridentino insinuabat, quod Sanctacrucius indignationis in Cæsarem conceptæ causas æterna oblivione sepeliisset, atque eorum, quæ tanquam Synodi Legatus erat perpessus, penitus immemor, quamprimum in Papam eligeretur, Imperatori addictissimus evaderet: aliunde vero, addebat Lottinus, hujus Cardinalis electio adeo certa est, ut illa præpediri haud amplius posset, cujus rei veritatem ipse etiam Camerarius suo confirmabit testimonio. His perceptis unice adhuc Tridentinum Cardinalem anxium reddebat, quod Ferrariensi Cardinali suum promisisset suffragium, quapropter

propter reliquum diei spatium ad vindicandam suam agendi rationem integrum sibi relinqui petebat, unde eidem etiam concessum, ut ad Ferrariensem suam excusationem transmittere valeret. Verum Lottinus ab eo discedere volebat, nisi prius illum ad Sacellum, ut vocant, Paulinum, ubi ceteri Cardinales erant congregati, deduxisset: ibi autem eo relicto, juxta fidem datam Ferrariensi Cardinali exposuit, quod Tridentinus Cardinalis promissioni in ejus favorem factæ stare haud amplius posset (*).

L 4 §. XCIII.

Sæc. XVI.
A C. 1555.

(*) De hisce machinationibus nec Pallavicinus, Spondanus, Raynaldus, Panvinius, Natalis Alexander, Ciaconius, nec alii probati Scriptores mentionem faciunt, cum igitur nec ipse Continuator hanc in rem vel unicum alleget Authorem, haud temere judicamus, cuncta ab eo pro more suo mere esse conficta; quotiescunque enim hic de aliquo conclavi mentionem facit, semper varia clandestina consilia, artes, & fraudes memorat, nullum tamen testem citat, forte ob Fleurii auctoritatem persuasus, quod sibi etiam multa dicenti, & nihil probanti promiscue cuncta forent credenda, dummodo Lectori suo ob oculos nequiter ponat, quod Pontificum electiones non afflatu Spiritus Sancti, sed per humanæ prudentiæ artes semper fuerint factæ.